



Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

Lourenço, Agostinho

Leodici Eburonum, 1692

Sectio XXXI. Vtrùm ad meritum de condigno requiratur status viæ in personâ merente.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

Deus tantam gratiæ, & gloriæ finitæ copiam effundat, ut majorem semper dignè effundere non valeat; in quo similis, licet non par, existit Filii dignitati. Patet, quia Sancti Patres, ut vidimus, illam prædicant infinitam, capacitate immensam, cognitione creatâ incomprehensibilem, & omni dignitate puræ creaturæ superiorem; sed infinita dignitas, & capacitas non potest adæquari, & repleri cumulo finito donorum; siquidem ut de hac dignitate loquitur *D. Bonaven. in Specul. cap. 5.* Vas immensum non potest, nisi immensâ gratiâ repleri; ergo Virginis dignitas, & capacitas exhauriri non potest cumulo finito donorum gratiæ, & gloriæ.

649. Colliges quintò in sensu composito præmii, quo Deus remunerat Virginis merita, superesse eis condignitatem ad merendum nobis dona gratiæ; (quidquid sit, an de factò ea nobis de condigno mereatur?) Patet, quia præmium, quo Deus de factò remunerat Virginis merita, est finitum, & limitatû, sicque infra ipsius dignitatem, ut dicebamus, quale est præmium dispensatum meritis Christi; ergo eis superest dignitas ad majus præmium; sed hoc potest ex meritis Virginis nobis dispensari; ergo Virginis meritis adest condignitas ad dona gratiæ ex eis nobis distribuenda.

650. Colliges sextò, Matrem Dei posse aliis mereri de condigno gratiam justificantem, licet alii iusti non possint aliis eam de condigno mereri, etiam in sensu diviso præmii sibi retributi. Primò, quia dignitas Maternitatis Dei est altioris conditionis, & efficacis, quàm dignitas gratiæ habitualis, ut constat ex supra dictis. Secundò, quia ea dignitas suapte conditione, & munere distincta est, non solum ad proprium Virginis emolumentum, sed etiam alienum, nempe ut Mediatrix officio fungatur apud Deum, nobisque Advocata existat cum Filio.

651. Colliges septimò, hinc jure Virginem laudari à Sanctis Patribus Redemptricem, & Mediatricem generis humani cum Deo, ejusque intercessionem extolli; siquidem ejus dignitatis sanctitas confert ipsius intercessionem vim impetrandi apud Deum longè efficaciorē, quàm gratia habitualis, suopreque munere ad hujusmodi officium destinata est; ergo ratione specialis sanctitatis ipsius potest munus illud speciale Mediatrix, & Redemptricis agere apud Deum.

652. Colliges octavò in hac quæstione nobis solum fuisse animum ea adducere, quæ ad illius probabilitatem poterant inservire, & excellentiam Dei parè illustrare, ita tamen ut aliorum iudiciò assensum ipsius relinquamus, & nostrum cohibeamus, donec ab aliis doctioribus probetur, licet *P. Ripal. tomo 2. d. 79. num. 126.* plurimos, eosque doctissimos Theologos tum Salmanticenses, tum Complutenses à se consultos dicat, probabilitatemque hujus sententiæ sanctam certamque statuisse.

SECTIO XXXI.

Utrum ad meritum de condigno requiratur status viæ in personâ merente.

653. **S**ECONDUM conditionem ex parte personæ merentis, ut diximus, est, quod sit in statu viæ. Undè circa hanc conditionem: Advertes primò, statum viæ ex vi nominis esse illum, in quo non dum quis pervenit ad terminum neque redditus est illius incapax; sic

enim Beati sunt in termino, & non in vi: damnati autem non sunt in vi, nec tamen dicuntur esse in termino, utpotè facti incapaces illius: reliqui omnes sunt in vi, quatenus non sunt in termino, sive sint in hac vita, sive in Purgatorio, sive in Limbo, sive in Sinu Abrahæ, ut olim fuerunt Sancti Patres. Secundò, statum viæ in ordine ad meritum, esse illum, in quo quis mereri potest, & de hoc in præsentibus inquirimus: Pro quo fit:

Difficultas 1. Utrum ad meritum de condigno requiratur status viæ, sive quod homo sit purus viator? Affirmativè. Ita *D. Thom. 1. part. quæst. 62. art. 9. & in 3. part. quæst. 19. art. 3. Alens. 3. part. quæst. 17. art. 2. Albert. in 3. dist. 18. q. 1. art. 2. D. Bonav. ibid. art. 1. quæst. 2. ad ult. Scot. quæst. unic. fine. Durand. 2. Gabr. quæst. 1. art. 1. notab. 2. & art. 3. dub. 1. ad 3. & dub. 4. Richard. art. 1. quæst. 1. Argent. quæst. 1. Marsil. quæst. 12. art. 1. quos citat, & sequitur P. Sor. tomo 3. de grat. lib. 12. cap. 15. num. 1. P. Tanner. tomo 2. d. 6. quæst. 6. dub. 2. num. 42. P. Amicus tomo 3. d. 35. sect. 2. num. 15. P. Ripal. tomo 2. de Ente supernat. d. 77. sect. 1. num. 3. & 4. P. Arriaga tomo 4. d. 52. num. 12. P. Agid. d. 8. de Merit. dub. 4. n. 40. Probatur primò autoritate Scripturæ. Eccles. 9. 10. Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu in prosperis: nempe ad merendum, ut exponunt *D. Hieron. ibid. & Gregor. lib. 4. dialog. cap. 39.**

Et Eccles. 11. 28. Facile est coram Deo, in diebus obitûs retribuere unicuique secundum vias suas. Et cap. 14. 17. Ante obitum operare justitiam. Et cap. 18. 19. Ante iudicium (particulare) para justitiam tibi. Et vers. 22. Ne verearis usque ad mortem justificari. Et Joan. 9. 4. Venit nox, quando nemo potest operari. Et 2. Cor. 5. 10. Ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum. Et ad Galat. 6. 10. Dum tempus habemus, operemur bonum. Et Matt. 25. & Luc. 16. Lucri & negotiationis tempus proci abitur usque, ad rationis exactionem, que fit in morte. Unde *D. Hieron. 1. Cor. 6. Tempus sementis, inquit, est præsens vita, quam currimus: cum ista vita transierit, operandi tempus auferetur.* Similia habet epist. 151. ad Algasiam quæst. 6. *D. Aug. apud D. Prosper. sentent. 172. Frustra homo, ait, sibi post hoc corpus promittit, quod in hoc corpore comparare neglexit. Idem habet D. Chrysost. hom. 2. de Lazaro. & hom. 37. in Matth.*

Probatur secundò ratione, quia congruum est, ut facultas merendi non protrahatur ultra tempus hujus viæ, & ultra consecutionem termini, sive gloriæ: tum quia tempus hujus viæ est valde idoneum ad exercendas actiones meritorias, cum in eo sint plures occasiones pugnandi pro gratia, & gloria obtinenda: tum etiam, quia debuit præfigi aliquis terminus, in quo homo tandem adipsèretur ultimum statum perfectionis supernaturalis, ad quem fuit ordinatus à Deo; ergo &c. Confirmatur, quia licet Deus potuerit remunerare actus bonos liberos, quos Beati in ipsius obsequium faciunt; siquidem ex natura rei nihil deest talibus actibus ad rationem meriti, ex præsentibus tamen rerum dispositione non ita accidit, siquidem Deus non solum requirit nostra opera meritoria, quatenus possunt esse sibi honorifica, ut essent illa Beatorum, sed etiam quatenus sunt nobis utilia ad gloriam consequendam; ergo consecutâ gloriâ, cessat ratio merendi.

Difficultas 2. Utrum hic status viæ requisitus ad meritum de condigno viæ æternæ fuerit, non solum in hominibus, sed etiam in Angelis? Affirmativè. Ita *D. Thom. 1. part. quæst. 62. art. 4. & cum eo Thomista*

Thomistæ. *Scor. in 2. dist. 5. quæst. 1. & cum eo Scotistæ. P. Molin. 1. part. quæst. 62. art. 4. cit. P. Vasq. 1. part. d. 119. cap. 3. P. Soar. tom. 3. de grat. lib. 12. cap. 15. num. 3. & lib. 6. de Angel. cap. 4. quos citat, & sequitur P. Ripal. d. 77. num. 4.* Probatur primò, quia id insinuant Ecclesiæ Patres, dum dicunt, bonos Angelos fuisse Beatitudinem adeptos, quia perseveraverunt in dilectione Dei: & illam meruisse, quando potuerunt peccare, sicut mali; potuerunt autem peccare, & perseveraverunt in dilectione Dei, dum erant in via; ergo &c.

658. Secundò, quia homines solum merentur per actus elicitos in via; sed nulla lege Dei, nec rationis consilio scimus, Angelos quoad hoc fuisse ab hominibus discretos; ergo &c. Tertio, quia neque homines, neque Angeli mali puniuntur propter peccata extra viam commissa; ergo neque homines, neque Angeli boni merentur per actus bonos extra viam elicitos. Quarto, quia Angeli de facto, ut Adversarii concedunt, non merentur augmentum Beatitudinis per opera, quæ ipsam Beatitudinem sequuntur; alioqui, aut quotidie Angelis fieret nova accessio gratiæ Beatitudinis essentialis; aut nullus esset terminus Beatitudinis primò eis concessæ, cum sine termino Angeli eliciant actus supernaturales virtutum in obsequium Dei; ergo neque merentur ipsam Beatitudinem per opera illam subsequentia; siquidem ea opera majorem condignitatem habent ad augmentum, quam ad primam concessionem Beatitudinis; ergo hanc merentur per opera antecedentia facta in viâ.

659. Oppones 1. Præmium Angelorum potuit duratione antecedere eorum meritum; siquidem gratia collata Antiquis Patribus antecessit merita Christi Domini, propter quæ fuit eis collata; ergo &c. Respondeo negando antecedens, ad cujus probationem dicimus, meritis Christi Domini non fuisse provisum præmium in collatione illius gratiæ juxta providentiam ordinariam, in quo sensu nunc loquimur, sed extraordinariam; neque merita propter quæ decretum fuit, erant elicita, five elicienda à Christo Domino existentem omnino extra viam, sed nondum adæquatè glorioso, saltem in corpore.

660. Oppones 2. Angelorum via fuit ita brevissima, ut in sola illa tantam Beatitudinem promereri non possent; ergo extra viam protrahi debet illorum meritum. Respondeo negando antecedens; licet enim Angelorum meritum non fuerit diuturnum; fuit tamen ingentissimæ intensiōnis juxta quantitatem activitatis, quæ possunt suos actus naturales elicere.

661. Oppones 3. Angelorum merita non fuerunt necessarîo proportionata naturali eorum perfectioni; siquidem proportio in naturali perfectione est necessaria, & proportio meritorum pendet ex libertate; sicquæ opus non est, ut una fuerit alteri conformis; idè enim videmus, plures Angelos in natura perfectiores demeruisse, cum tamen alii minus perfecti meruerint; sed gloria est eis data juxta proportionem naturalium; siquidem eadem videtur esse ratio de gloria, atque de gratia; hæc autem fuit eis data juxta proportionem naturalium; ergo gloria non fuit eis data juxta proportionem meritorum; siquidem eadem forma non potest diversis regulis, seu mensuris adæquare, quando ipsæ mensuræ inter se æqualitatem, seu proportionem non servant.

662. Respondeo cum aliquibus apud P. Soar. lib. 6. de Angelis, cap. 4. num. 20. negando minorem; dicunt enim in distributione gloriæ non fuisse servatam proportionem naturalium, sed meritorum; neque in hoc eandem esse rationem de distributione gloriæ, & gratiæ; siquidem hæc non est data

Tom. 2.

ex meritis, sicut gloria. Et quia optimè fieri potuit, ut Angelus inferior in natura, & in prima gratia, postea in meritis, consequenterque in gloria excefferit alium in natura, & in ultima sanctitate perfectiori. Aliter respondet P. Soar. cit. num. 2. cum D. Thom. 1. part. quæst. 62. art. 6. sed hæc interim responsio sufficit pro præsentî quæstione.

663. Oppones 4. Aliquod præmium datum est Angelis sanctis gloriæ essentialis propter obsequia Deo exhibita, & adhuc exhibenda usque ad diem judicii, ministrando hominibus; alioqui melius eis esset non tam citò beatitudinem accipere, sed in via relinqui, ut eam majorem possent mereri per talia ministeria; ergo beatitudo data est eis etiam propter merita, & obsequia prævisa, & extra viam facienda. Respondeo cum P. Soar. proximè num. 18. negando antecedens; sicut enim à principio non est data beatitudo essentialis (de accidentali enim statim dicemus) intuitu meritorum postea futurorum, ita neque auctam esse per opera facta post illam acceptam, quia jam non sunt facta in statu merendi, ut diximus. Neque inde sequitur, quod melius esset Angelis; (idemque applicari posset hominibus, imò & Beatæ Virgini,) non tam citò beari, ut majorem beatitudinem mereri possent; eoquod melius sit, tardius majorem, quam citius minorem gloriam accipere; siquidem beatitudinis perfectio, ejusque terminus præscriptus est ex divina providentia, & juxta illum sunt etiam præscripta, & efficaciter prædefinita media, quibus unusquisque convenienti tempore, & pro statu vitæ talem terminum mereatur; ideoque illo merito expleto, & aliis, si quæ sunt, impedimentis sublatis, optimum unicuique est, præmium suorum meritorum consequi.

664. Difficultas 3. Utrùm Beati per opera elicita in statu Beatitudinis essentialis mereantur sibi, & aliis de facto saltem gaudia, aut præmia aliqua accidentalitè? Negativè. Ita D. Thom. 1. part. quæst. 62. art. 6. Bannez. Zúnel. ibid. art. 9. P. Valent. ibid. punct. 4. P. Turrian opuscul. 8. d. 1. dub. 5. P. Soar. tomo 1. in 3. part. d. 39. sect. 3. & tomo 3. de grat. lib. 12. cap. 15. num. 3. & 19. & cap. 34. Medin. 1. 2. quæst. 114. & alii, quos citat, & sequitur P. Tanner. tomo 2. d. 6. quæst. 6. dub. 2. num. 47. & non improbat P. Ripal. tomo 2. de Ente supernatur. d. 77. num. 7. licet oppositum dicat probabile cum D. Bonaven. in 2. dist. 1. quæst. 2. Gabr. quæst. 1. art. 3. dub. 2. Albert. 2. part. sum. tract. 4. quæst. 19. Scot. in 4. dist. 50. quæst. 1. art. 4. P. Vasq. 1. 2. d. 216. cap. 4. num. 31. P. Merat. tr. de Grat. d. 14. sect. 1. & aliis.

665. Probatur primò, quia Scriptura & Sancti Patres, de quibus supra, absolutè negant meritum post hanc vitam; ergo debent intelligi de merito tam præmii essentialis, quam accidentalis. Secundò, quia si homo in statu beatitudinis posset mereri gloriam accidentalem, posset etiam essentialem; sed hoc non admittunt Adversarii; ergo neque illud debent admittere. Tertio, quia posset Beatus mereri saltem gloriam corporis; sed hoc non dicent; ergo &c. Quarto, quia per meritum viæ obtinetur quidquid in patria est fructus virtute beatitudinis secutus; sed hujusmodi est gaudium, & præmium accidentale contingens Beatis; ergo &c.

666. Dices 1. Videtur absurdum dicere, Beatos per actus supernaturales bonos & laudabiles fieri quotidie digniores majori præmio; & tamen Deum illis negare remunerationem; sed illam non concedit præmii essentialis; ergo saltem accidentalis. Respondeo primò argumentum etiam probare contra P. Vasq. ipsosque, qui cum illo admittunt, opera Christi

T t

Christi

Christi Domini fuisse ex se digna præmio infinito; & tamen Deum sine absurdo solum ei dedisse finitum. Item admittunt, quemlibet Beatum esse capacem Visionis intensioris; & tamen Deum eam sine absurdo non concedere. Deinde, animas Purgatorii, & Patres olim in Limbo, plures actus fecisse ex se dignos præmio; & tamen sine absurdo non esse à Deo remuneratos, ut infra dicemus; ergo &c.

667. Respondeo secundò, dari quidem in Beatis plures actus ex se habentes valorem, & condignitatem ad augmentum gloriæ, tum essentialis, tum accidentalis; & tamen sine absurdo manere sine ullo præmio, quia de facto non sunt ad illud acceptata; siquidem Deus, ut supremus Dominus, cui omnes nostri actus debentur, potuit illos non acceptare ad præmium, sed ob varios alios titulos, quin ullam hominibus injuriam faciat, etiamsi novum præmium eis non concedat ob tales actus.

668. Dices 2. Beati in patria plura sibi, & aliis impetrant à Deo per opera in eo statu elicita; ergo etiam poterunt sibi, & aliis aliqua mereri de condigno, aut de congruo; cum meritum, & impetratio à pluribus non distinguantur. Respondeo dato antecedente, negando consequentiam, tam de merito condigno, quam de congruo; diversa ratio est, quia meritum fundatur in honestate, & laudabilitate operis facti in obsequium præmiantis: impetratio autem in liberalitate donantis ad preces impetrantis, non tanquam remunerans ejus merita, sed audiens ejus petitionem; cum igitur Beati sint extra statum elicendi opera laudabilitatis, & obsequii digna defectu libertatis indifferentiæ, sunt etiam extra statum merendi, tam sibi, quam aliis, sive de condigno, sive de congruo: non tamen sunt extra statum impetrandi, tam nobis aliqua beneficia, quam sibi aliquam gloriam accidentalem, nempe exaltationem proprii nominis, & laudes apud homines, quatenus Deus eorum preces audiendo, potest hæc, non ut præmia, sed ut bona liberaliter concedere.

669. Dices 3. Licet Beati sint in termino respectu beatitudinis essentialis, sicque non possint eam mereri; non ita est respectu gloriæ accidentalis, quæ quotidie potest innovari; ergo etiam mereri. Respondeo negando antecedens quoad secundam partem; cum enim sint extra viam quoad præmium essentialis, etiam ita sunt quoad accidentale, utpote ad quod non requiritur novum meritum: tum quia est accidens connaturaliter ex beatitudine essentiali emanans, & debitum priori merito: tum etiam, quia consonum est Scripturæ, & Sanctis Patribus, ut diximus, quod status viatoris, & operarii conducti ad operandum in vineâ morte finiatur.

670. Ex dictis colliges primò traditam doctrinam procedere tam de præmio essentiali, quam accidentalis; & tam de hominibus, quam de Angelis Beatis, quorum omnium statum viæ ad merendum decrevit Deus; licet hic respectu Angelorum aliter, quam morte finitus sit, cum Angeli sint immortales. Secundò, adhuc loquendo de hominibus solum intelligendam de capacibus ad merendum; nam si sint perpetuo amentes, saltem per accidens excluduntur ab statu merendi, cum tamen sint in via, aut non sint in via, quia non merentur. Tertio, comprehendere etiam illos, qui semel mortui, iterum ad hanc mortalem vitam sunt revocati; siquidem in his eorum vita non tam est terminata, quam interrupta; sicque redivivi mereri, & demereri possunt. Quid autem dicendum sit de animabus Purgatorii; & de his, qui non sunt omnino

extra viam, ut de Enoch, & Elia? Ex dicendis constabit: Sit igitur.

SECTIO XXXII.

Quid dicendum de Animabus Purgatorii; Enoch, & Elia?



DVERTES primò, quæstionem non procedere de merito animarum Purgatorii in ordine ad augmentum gratiæ habitualis, & gloriæ essentialis; siquidem certum de fide est, eas non esse in statu, in quo possint in gratia, aut charitate, aut in jure ad gloriam crescere. Ita P. Soar. tom. 1. in 3. part. d. 39. sect. 1. & 3. & tomo 2. in 3. p. d. 42. sect. 1. & tomo 4. in 3. part. d. 47. sect. 2. cum Caiet. tomo 1. opuscul. trad. 23. quæst. 1. Sol. in 4. dist. 19. quæst. 3. art. 2. Et patet tum autoritate Scripturæ; tum Sanctorum Patrum: tum rationibus supra adductis à num. 654. Secundò, controversiam solum esse de merito alicujus præmii accidentalis, ut remissionis culpe venialis, & poenæ temporalis, ut alicujus temporalis solatii ministerio Angelorum exhibitii. Hoc posito.

Dico 1. Animæ justæ in Purgatorio non sunt in statu merendi etiam præmium aliquod accidentale. Ita D. Thom. quæst. 7. de Malo, art. 11. D. Bonav. in 4. dist. 21. art. 1. quæst. 3. Richard. ibid. P. Soar. proximè, & tomo 4. in 3. part. d. 11. sect. 4. num. 15. P. Vasq. 1. 2. d. 216. num. 36. P. Agid. d. 11. de Pœnit. num. 47. P. Tanner. tomo 2. d. 6. quæst. 6. dub. 2. num. 44. & alii. Probatur primò auctoritate Sacre Scripturæ & Sanctorum Patrum locis supra citatis à num. 654. ubi de omnibus post mortem loquitur in ordine ad meritum tam præmii essentialis, quam accidentalis, ut etiam supra diximus de Beatis hominibus, & Angelis; ergo &c.

Probatur secundò, quia ille, qui occasionem satisfaciendi pro culpa sibi in hac vita concessam, negligenter, & voluntariè omittit, jure etiam amittit omnem congruitatem obtinendi à Deo per sua opera remissionem poenæ, & culpæ venialis; ergo &c. Tertio, quia quidquid suis actibus impetrant, tibi potest, & debet meritis hujus vitæ: unde D. Aug. in Enchirid. cap. 110. dixit suffragia viventium prodesse defunctis, qui prius in hac vita meruerunt, ut suffragia pro ipsis oblata Deo esset accepta; ergo &c. Quarto, quia si possent quidquam mereri, etiam possent eodem modo pro poena satisfacere; sed hoc non debet concedi; siquidem earum status non est satisfaciendi, sed satisfaciendi; ergo &c. Quintò, quia sequeretur, quod poenæ purgantes essent brevissimæ, & parum necessariae, vivorumque suffragia vix essent utilia animabus in Purgatorio; siquidem animæ purgandæ facillè possent se ab eis poenis suis propriis actibus liberare; sed hæc non sunt admittenda; ergo neque illud, ex quo sequuntur.

Oppositum tenent D. Thom. in 4. dist. 21. quæst. 1. art. 3. q. 1. ad 4. Caiet. 1. p. q. 63. art. 5. Sol. in 4. dist. 5. quæst. 1. art. 2. P. Azor. tomo 1. lib. 4. cap. 11. Montefin. tomo 2. in 1. 2. d. 35. num. 8. quos citat, & sequitur P. Ripal. tomo 2. de Ente supernat. d. 77. n. 29. dicuntque esse probabile P. Soar. tomo 4. in 3. part. d. 11. sect. 4. n. 15. P. Torres. 2. 2. d. 31. dub. 2. Pro quibus: Objicies. Beati merentur sibi aliqua præmia accidentalia saltem; ergo eadè etiam mereri possunt animæ Purgatorii; sed inter earum præmia accidentalia propria numeratur remissio poenæ temporalis, & culpæ venialis; ergo &c. Respondeo negando

antece-